

IN FESTO S. JOANNIS BAPTISTÆ

EVANGELIUM. Luc. I.

Elisabeth impletum est tempus pariendi, et peperit filium. Et audierunt vicini et cognati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei. Et factum est, in die octavo venerunt circumcidere puerum, et vocabant eum nomine patris suæ Zachariam. Et respondens mater ejus, dixit: Nequaquam, sed vocabitur Joannes. Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri ejus, quem vellet vocari eum. Et postulans pugillarem, scripsit, dicens: Joannes est nomen ejus. Et mirati sunt universi. Apertum est autem illico os ejus et lingua ejus, et loquebatur, benedicens Deum. Et factus est timor super omnes vicinos eorum, et super omnia Judææ divulgabantur omnia verba hæc. Et posuerunt omnes, qui audierant, in corde suo, dicentes: Quis, putas, puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo. Et Zacharias pater ejus, repletus est Spiritu sancto, et prophetavit, dicens: Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ.

CONCIONES.

- I. Gaudium hujus solemnitatis.
- II. Unde tanta Joanni sanctitatis fama.
- III. Joannes cur angelus dictus.
- IV. Præsagia vitæ.
- V. Qua ratione voluntatis divinæ nostra conformanda sit.
- VI. Documenta.
- VII. Mystera.

CONCIO I.

GAUDIUM HUIUS SOLEMNITATIS.

- I. In domo Zachariæ. — II. In domo vicinorum. — III. In limbo patrum. — IV. In cælo. — V. In orbe universo.

THEMA.

Multi in nativitate ejus gaudebunt. Luc. I.

Solent hodie passim excitari rogi et festivi ignes ex antiquo more, iique ab aliquibus vocati ignes S. Joannis. Qui si ad honorem sancti, ut videtur, a veteribus Christianis excogitati et excitati sunt, haud dubie reprehensione carent, modo levitas et superstitio procul absint. Nam ignes excitari festivos ad publica insinuanda gaudia, receptum est in pluribus nationibus. Cum ergo hodierna festivitas, publico gaudio plena sit, cur non

CONCIONES AUCTARIÆ.

- I. Quanta contentione Dei gratia quaerenda et conservanda sit.
- II. Periculosus mundanorum status arguitur a Joanne.
- III. Quatuor potissimum ignes non excitandi.
- IV. Ignis purgatorii qui transiliendus.
- V. Joannes quomodo alter Elias.
- VI. Rogi solstitiales, typus vanitatis mundi.

etiam nos ad honorem Baptistæ rogos accendere possimus? Et vero, si bene advertimus, invenimus hoc ipso die ejusmodi rogos seu festiva gaudia excitata fuisse in multis locis, in domo Zachariæ, in domo vicinorum, in limbo patrum, in cælo, in orbe christiano. Ergo ut hujus gaudii participes fiamus, spectemus rogos istos.

I. Rogus iste festivus excitatus fuit in domo Zachariæ; siquidem nativitas Joannis gaudium attulit. Primo, ipsi Joanni, duplicem ob causam. Prima est, quia ipsius ortus longe felicior fuit, quam cæterorum hominum; ipse enim in utero matris Spiritu sancto repletus fuit, sicut prædixit angelus, Luca I. adeoque ab originali labe mundatus, cum qua tamen cæteri nascuntur mortales. Cæteri ergo infantes jure merito plorant statim ac in lucem prodeunt, quia sub maledicto sunt, propter quam causam Job, cap. III.

et Jeremias, cap. XXII. maledicunt diei nativitatis suæ; quia nimirum cum peccato originali nascimur ad tantas miseras, ut spectatis naturalibus tantum, et seclusa gratia, per quam cælo renascimur, melius foret nos non nasci; adeoque dies noster natalis fletu potius quam gaudio esset prosequendus.

Porro gratia sanctificans non solum labem illam abstergit, sed miseras etiam et calamitates inde nobis provenientes in bonum nostrum convertit, adeoque non terræ sed cælo nos gignit. Hinc ergo dubio procul in sua nativitate gavisus est Joannes, quia cum usu rationis donatus sit in utero matris, de communi patrum sententia, agnovit etiam se repletum Spiritu sancto et sanctificatum esse. Cujus etiam gaudii nos participes esse possumus, si recordari velimus diei, a quo a labe illa in sua matre, exultaverat in gaudio, quasi moræ impatiens percurrere vellet claustra materni uteri, ad inchoandum munus præcursoris. Quemadmodum ergo canis venaticus conspecta de procul fera, vincula abrumpere conatur, et dimissus velocissimo cursu ad eam contendit eamque per silvam latratibus prodit, ut plures ad speratam prædam canes advocet: Joannes conspecto Salvatore de procul in utero exire in lucem gestiit, ut velut prædam, eum apprehenderet et aliis agnoscendum ac capiendum clamoribus suis proderet. Unde dicebat: *Ego vox clamantis in deserto, parate viam Domini: et rursus: Ecce agnus Dei.* Secundo, parentibus Joannis; quia natus est illis filius et quidem talis, qui magnus coram Domino futurus esset. Hanc causam indicat angelus: *subit enim mox, velut causam gaudii: Erit enim magnus coram Domino, et vinum et siceram non bibet.* Divites et potentes festiva gaudia celebrant, cum nascitur illis filius, quamvis adhuc nesciant, qualis ille sit futurus, et quoniam desiderant illum evadere magnum, constituunt ei pædagogum et præfectum, mittunt eum ad studia et exterarum nationes, in omnibus liberalibus disciplinis apprime erudiendum, et ubi in ejus gratiam plurimos sump-

tus fecerunt, sæpe decipiuntur, cum nimirum vident filium evasisse non magnum coram Deo, sed magnum a aleatorem, magnum potatorem, magnum pugilem, magnum saltatorem. Plurumque etiam laborant parentes ut illorum filii sint magni coram mundo, in militia, in aulis principum, in canonicatibus, etc. Sed quæ hic gaudii materia, habere filium nobilem vitis, aut magnum coram mundo, parvum vero aut nullum coram Deo? Plures in hoc sæculo magni cogno-mentum acceperunt ob virtutes bellicas, veluti Pompeius et Alexander Macedo. Verum magni tantum coram mundo fuerunt, quia hostes tantum vincere, non seipsos et vitia sua noverant. Joannes noster vere magnus est coram Domino, quia: « Non quidem fines alicujus propagavit imperii, non triumphos aliquos belli certaminis adoriens præoptavit: sed quod est amplius, in deserto prædicans delicias hominum corporisque lasciviam, magna animi virtute depressit. » inquit S. Ambros. in Lucam, c. I. illi ab hominibus, qui falli ac fallere possunt magni vocati sunt: Joannes noster non ab archangelo solum, sed etiam a Christo, qui nec falli potuit nec fallere, magnus dictus est: *Non surrexit major inter natos mulierum Joanne Baptista.* Quare si parentes lætari in filiis volunt, curent facere eos magnos coram Deo. Agesilaus magnus princeps rogatus qua ratione quis magnum nomen possit acquirere, respondit: *Si bona dixerit, et meliora fecerit.* Eodem fere modo Christus: *Qui fecerit, inquit, et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum,* Matth. I. Tales igitur sint filii, et vere magni erunt, ac gaudium parentum.

II. Excitatus est in domo vicinorum et cognatorum. *Audierunt enim vicini et cognati ejus (Elisabeth) quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa et congratulabantur ei,* inquit Lucas (Græce, congaudebant ei), gavisus sunt ergo vicini et cognati, quod filius a Deo datus esset sterilibus parentibus, et quod talis imprimis filius qui merito magnus credebatur futurus. Beneficium etiam hoc suum reputabant, quia sibi de talibus vicinis et cognatis, qui sic a Deo amarentur, gratulabantur: magnum siquidem bonum est vicinis bonus. Quemadmodum enim luna plus movet inferiora et plus commodi præstat generi humano, quam cæteri planetæ extra solem, non quia efficacior, sed quia terræ vicinior; ita boni vicini plurimum promovent res civium. E contra sicut agri a vicino mari accipiunt saluginem et perniciem, ita cives a malis vicinis multa incommoda. Hinc veterum erat proverbium: *Cui bonus est vicinus, ei felix illuxit dies. Cui malus est vicinus, infelix contingit mane: item: Non peribit bos,*

nisi affuerit malus vicinus. Olim qui fundum procribentem venalem, præconem edocebant, quibus dotibus esset ager commendabilis, quam salubri cælo, quam commodo situ, quam fertili solo, quam bene ædificatis villis. Sed vir acerrimi ingenii Themistocles, cum fundum vendere vellet, jussit hujusmodi dotibus et illud adjici, quod haberet bonum vicinum. Id factum primum risu jocoque multitudinis acceptum est: mox intellectum est hanc agri commendationem esse præcipuam, Stob. serm. XXXV. Multi compelluntur vendere domos aut agros suos, propter vicinos malos, quibuscum sine litibus, jurgis aliisque incommodis vivere non possunt.

Optimi ergo vicini fuerunt Zacharias et Elisabeth, ideo similes etiam nati sunt vicinos, qui eis optime vellent: *Erant enim justi ambo*, inquit Sanctus Lucas, *ante Deum incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela*. Quisquis ita incedit, ut de eo vicini conqueri non possint, næ ille bonos etiam nanciscetur vicinos.

III. In limbo patrum. Audierunt enim absque dubio etiam boni et sancti illi patres Joannis natiuitatem, ab iis, qui tunc e vivis excesserant, et a Deo commigrarant. Sed quam ob causam hos lætatos dicimus? Respondeat nobis Gabriel angelus, qui apparuit Zachariæ et inter alia ei dixit de filio suo nascituro: *Ipse præcedet ante illum (Christum) in spiritu et virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam*, Luc. I. quasi diceret: Sua prædicatione efficiet, ut Judæi increduli diligenter considerent signa adventu Messie a prophetis præscripta, et patribus olim data, indeque eum agnoscant jam venisse; æe proinde, ut quemadmodum patres eorum Christum venturum speraverunt summeque desiderarunt atque amarunt, ita et ipsi eum summo desiderio excipiant et amore colant: hoc enim pacto convertet corda patrum ad filios et filios, scilicet suos, tempore Christi victuros, pro germanis habere et diligere incipiant, a quibus prius ob incredulitatem et alia flagitia velut spuris et degeneribus aversi erant. Sane Judæi Christus patrem eorum in exemplum fidei proponit, Joan. VIII. cum ait: *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum; monens eos tacite, ut imitentur patrem suum, qui Christum summo desiderio videre cupiebat*. Eodem modo Jacob Christum in spiritu prævidens, exclamabat: *Salutare tuum expectabo Domine*, Gen. XLIX. Quo loco etiam prævidens quosdam filios suos degeneres futuros et Christum prodicione necaturos, Scribas inquam et Phariseos, qui a Simeone prognati erant, et pon-

tifices ac sacerdotes, qui a Levi descenderunt dixit: *Simeon et Levi fratres, vasa iniquitatis vel lantia, in consilium eorum non veniat anima mea*. Consilium intellige, quo Christo necem machinati sunt, ut exponit Sanctus Ambrosius, Isidorus, Rupertus et alii. E contra prævidens Paulum e suo Beniamino progignendum, de ejus ad Christum conversione sibi applaudit lætabundus, quod talem sortiturus esset filium, qui ex lupo in agnum, ex prædone diaboli in prædonem Christi, ex persecutore in apostolum, et doctorem gentium mutandus erat.

Cogitate, auditores, annon parentes et majores nostra in cælo jam existentes merito indignentur filiis et ab eis se avertant, si videant eos degeneres factos, vel ab avita religione in hæreses abiisse, vel in fide catholica impie vivere, servire mundo, carni, dæmoni et polli flagitiis? Quam multos, putatis, baculos e cælo dejicerent in eos, si Deus hoc permetteret? Contra vero si videant eos pie vivere et Deo servire, quantum hoc illis pariet gaudium? Hoc igitur est, quod Joannes magna saltem ex parte præstitit, cum sua prædicatione, vitæ exemplo, baptismo disposuit et instruxit Judæos ad Christum agnoscendum, recipiendum, colendum. Hinc boni illi in limbo patres inire recreati sunt, etiam ipso die, qua natus est Joannes, futurus scilicet Judæorum pædagogus.

IV. In cælo, testante enim Domino gaudium est in cælo coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, plusquam super nonaginta novem justis. Atqui noster Joannes plurimos peccatores ad pœnitentiam conversurus erat, quod non potuit latere angelos; siquidem Gabriel, unus ex illis, id prædixit Zachariæ: *Multos filiorum Israel, inquit, convertet ad Dominum Deum ipsorum*. Quod si unius conversio peccatoris gaudium in cælo excitat: quid faciet conversio multorum? Si quis sanctus mortuum adolescentem et unicum filium resuscitaret restitueretque suis parentibus: quantum quæso illis totique familiæ gaudium crearet? Recordemur illius viduæ, cujus unicum filium jam elatum resuscitavit Dominus, quanto gaudio perfusa fuerit, cum recepit filium suum. At convertere peccatorem tanto majus quiddam est, quam resuscitare mortuum, quanto plus est liberare animam a gehenna et morte æterna eique restituere gratiam et vitam æternam. Ita enim S. Jacobus, cap. V. ait: *Qui converti fecerit peccatorem, ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, videlicet æterna*. Quid igitur, putatis, gaudii percipiunt beati, cum vident suos liberos, nepotes, fratres et sorores, eripi e gehenna et constitui in viam salutis?

« Nullius rei pretium (inquit S. Chrysostomus, homil. III. in I. ad Corinthios), est cum anima conferendum, ne totus quidem mundus. Quare etiamsi divitias innumeras dederis pauperibus, nihil tale efficias, quale is, qui convertit animam. » Scio non tanti æstimamus nos pretium unius animæ; sed æstimant tamen et norunt cives cæli, qui vident primo, animæ pulchritudinem excedentem omnem mundi decorem. S. Ignatius Loyola, ostensa sibi a Deo pulchritudine animæ sanguine Christi ablutæ, ita zelo animarum exarsit ut totam vitam per immensos labores et dolores, suamque societatem illi addiderit. Vident secundo, quanta Christus fecerit pro animarum conversione, qui ad hoc de cælo venit et crucem subiit, optimus rerum omnium æstimator. Vident tertio, gloriam animabus ad Deum conversis paratam, gehennam item impenitentibus imminentem, audiunt querelas de suis parentibus, præceptoribus et dominis, confessariis, pastoribus, vident eorum cruciatus, desperationes, seras et inanes pœnitentias. Hinc gaudium, hinc exultatio beatorum, quem cum illo igne eripi conspiciunt, quæ si nos quoque expenderemus, utique ad peccatores in ignem insiliremus, ut eos eriperemus a peccato, nec unquam lætari nisi in eorum conversione possemus. Unde: « In Hebraico evangelio, ait S. Hieronymus, in epistola ad Ephesios, c. V. legimus Dominum ad discipulos loquentem: et nunquam, inquit, læti sitis, nisi cum videritis fratrem vestrum in charitate. »

V. In universo orbe christiano, qui jam tunc ex ore Zachariæ audivit, et postea reipsa expertus est Joannem esse præcursorum et præconem Salvatoris ac mundi luciferum, solis prænuntium, ostendit hoc etiam ipsius nomen, quod gratiam sonat, et statum gratiæ atque evangelii annuntiavit, sicut turturis vox vernum tempus; ut dicere possemus id Canticorum II. *Vox turturis audita est in terra nostra, sane primus fuit, qui regnum cælorum nobis annuntiaret: Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cælorum*, Matthæi III. et propterea Christus dixit: *A diebus Joannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur*, Matth. XI. quia ipse primus docuit id appropinquasse. Appropinquaverat autem tempore, notitia, affectu, accessu. Tempore, quia Messias aderat: notitia, quia tunc promittebatur hominibus, cum in veteri testamento ne nominatum quidem fuisset: affectu, quia tunc ab hominibus desiderari incipiebat: accessu, quia imminere ejus reseratio. Itaque gratiæ et gloriæ dona, post Christum, modo aliquo debemus etiam Joanni,

qui ea non solum nobis annuntiavit sed Christum etiam eorum datorem nobis digito ostendit. Afferebat secum Christum in mundum pretiosam margaritam, sed mercatorem justum mundus non agnovit, Joannes nobis demonstravit et de prædandum exhibuit, dicens: *Ecce agnus Dei. Hic est Filius Dei, etc. Vidi Spiritum descendentem, quasi columbam de cælo et mansit super eum*, Joan. I. quasi diceret: Ecce iste in sinu gerit regnum cælorum: istum invadite, istum spoliare, credendo in eum. Fuit autem efficax ea vox Joannis: queruntur enim discipuli ejus: Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat et omnes veniunt ad eum, Joan. III. Ecce vim illatam Christo et regno ejus, a diebus Joannis. Nisi Joannes nobis Christum demonstrasset, vel non agnovissemus eum, vel parum firmiter ei credidissemus. Quid vero prodest habere in horto pestilentie antidotum (*angelicum*) nisi illud noris? Habuimus in mundo Christum, peccati eliminatorem. Sed hunc ostendit nobis Joannes, quem etiam rogabimus, ut eum nobis ostendat regnantem in cælo

CONCIO II.

UNDE TANTA JOANNI SANCTITATIS FAMA.

I. Ex humilitate. — II. Ex vitæ austeritate. — III. Ex charitate in proximum et Deum.

THEMA.

Joannes est nomen ejus. Lucæ I.

Credibile est nomen Joannis sub veteri testamento non valde fuisse commune; siquidem in tota cognatione Zachariæ nemo erat, qui vocaretur hoc nomine. At sub lege nova adeo tritum et commune factum est hoc nomen, ut nulla pene domus sit, in qua non aliquis reperiat Joannes. Quæ vero causa esse potest hujus rei? Sane S. Dionysius Alexandrinus episcopus, qui vixit sub annum Christi 250. testatur apud Eusebium, lib. VII. historiae eccles. cap. X. multos suscepisse nomen Joannis apostoli propter admirationem, quam de eo habebant et propter emulationem, qua ad illum imitandum flagrabant et quod a Domino pari ratione diligi cupiebant. Unde simili conjectura colligo, plurimos accepisse a parentibus nomen Joannis Baptistæ, quia illum adhuc puerum omnes mirabantur: *Quis, putas, puer iste erit?* Et quia a Christo summe dilectus summisque laudibus passim celebratus fuit, uti Matth. XI. *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista*: et denique, propter æmula-

tionem tanti honoris et sanctitatis ejus. Non displicet hæc ratio. Sed viderint tamen illi, qui hoc gaudent nomine, ut eo se dignos præstent talesque exhibeant pro viribus, qualem se præstitit Joannes. Frustra enim æmulantur ejus laudes, nisi æmulentur etiam virtutes. Quamquam non ii tantum, qui hoc nomen habent, id facere deberent, sed quisquis appellatur Christianus. Omnes enim esse magni volumus, omnes a Christo diligere et in diei judicii laudari et præmiari. Videamus igitur qua ratione ad hoc culmen possimus pervenire.

Tria sunt præcipue quæ homini apud vulgus conciliare sanctitatis opinionem solent. Humilitas, vitæ austeritas et charitas eximia in Deum et proximum. Turrin enim perfectionis et sanctitatis qui vult ædificare, primo, fundamentum ponat humilitatis: secundo, murum erigat asperitatis vitæ: tertio, tectum imponat charitatis. Hæc omnia in Joanne eximia fuere.

I. Eximia fuit ejus humilitas. Hæc autem ad sanctitatem optima est via. S. August. ad Dioscorum scribit: « Quæ est via ad perfectionem? Humilitas, humilitas, humilitas: et si millies me interrogares, semper responderem, humilitas: » et alius quidam pater interrogatus: « Quis est sanctus inter homines? respondit: Humilis. Qui sanctior? Humilior. Qui sanctissimus? Humillimus. » Jam vero Joannis nostri intueri humilitatem. Primo, honores sibi delatos respuit, cum enim multi Pharisei et Sadducei ad ipsum venissent baptismum suscepturi et cogitarent forte ipsum esse Messiam; palam professus est se non esse Messiam, sed eum venturum post se. Iis etiam per legationem interrogantibus an Messias, Elias, Propheta esset, negavit se quemquam horum esse, eum tamen Christus cum dixerit Eliam, et plusquam prophetam; adeoque Joannes sine mendacio hæc asserere potuisset. Urgentibus iisdem, quid esset, tandem respondit: *Ego vox clamantis in deserto*. Voce nihil fragilius. Nimirum continuit se Joannes in imo humilitatis, ne superbia elatus ab hoste vinceretur. Quamdiu Hercules Antheum terræ filium (ut poetæ finxerunt) ad terram prostravit, tamdiu vincere non potuit, recuperante semper Antheo vires a sua matre. At ubi eum in altum sustulit, jugulavit.

Secundo, ad pedes Christi humillime se abiecit ac velut stellula, adventante sole, se occultavit, seque coram ipso nihil esse protestatus est, et indignum, qui procumbens solvat corrigiam calceamentorum ejus, Matth. III. Deinde, cum Christus ad eum venisset, baptismum ejus suscepturus, refugit ab hoc munere, dicens: *Ego a te*

ri et tu venis ad me? De eodem ad discipulos suos ait: *Illum oportet crescere, me autem minui. Qui desursum venit super omnes est. Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur. Qui de caelo venit, super omnes est*, Joan. III. Christi ergo dicta vocat cœlestia, sua terrena. Tantus sanctus tantum se humiliat coram Christo, quid agamus nos?

Tertio, humilitatem etiam tenuit in externis rebus, victu, vestitu, habitatione, etc. cum tamen nobili genere natus esset. Rursum in eo, quod nemini manifestavit vitam suam; quam duxit in eremo, absque dubio mirabilem et angelicam: si enim aliquid de ea aperuisset, haud dubie conscriptum fuisset.

Itaque qui vult ex vobis major esse apud Deum, curet ut sit minor, et omnibus se postponat. In hoc mundo quidem nemo facile ad honores sæculares pervenit, nisi qui novit per vim se ingerere, alios cubito trudere, sese ostentare, etc. sed non ita apud Deum; imo qui novit omnes sibi præponere, omnibus subjacere, neminem contemnere, seque abscondere, ille magnus est coram Deo.

II. Eximia vitæ ejus austeritas. Per hanc homo seipsum et carnem suam domat, vincit et quodammodo in angelicam et incorpoream naturam mutat: *Tantum enim proficies*, inquit S. Hieron. *quantum tibi ipsi vim intuleris*. Hæc autem in Joanne præcipua fuit. Primo, quoad habitationem; vixit enim in eremo a pueritia, ut colligitur ex Luca usque ad unum trigesimum, inaudito exemplo. Cæteri homines mundum prius degustant, ideo postea difficilius relinquunt. Delectationes enim aliquando degustatæ fugientes insequuntur, et retrahere conantur, uti S. August. cui oggerant: *Dimittisne nos, etc?* Joannes mundum nec degustare voluit, nec aspicere, ne ejus imaginibus aliquando infestaretur.

Secundo, quoad victum. Locustas enim et mel silvestrè edebat. Quanta mortificatio comedere locustas? Potus erat aqua, vinum enim et siceram non bibit, ut prædictum est ab angelo. Ad hæc jejuniis valde deditum, ex eo patet, quod egressus e solitudine docuerit discipulos suos jejungere, quod tamen a suis nondum exigebat Christus. Imo S. Basilius vitam ejus vocat perpetuum jejunium: S. Chrysostomus vitam angelicam: cardin. Petrus Damiani continuum martyrium: Dominus etiam de eadem dixit: *Venit Joannes nec manducans neque bibens, id est, parcissime, nulla adiens convivia, etc.*

Tertio, in vestitu, qui fuit ex pilis camelorum cum zona pellicea. Adde leoti duritiem, terram videlicet, continuas prope vigilias, preces et meditationes. Unde vocatur a sanctis patribus pater

eremitarum et monachorum, qui exemplum ejus secuti, vel ab animatis omnino abstinebant, vel pisces tantum et volatilia gustabant, vel solis dactylis et arborum fructibus vescabantur, idque semel in die alii biduo vel triduo semel tantum cibum sumebant eumque modicum: quidam sicco pane victitabant, ut videre est in vitis patrum, apud Prosp. l. II. de vita contemplat. cap. IX.

Hisce modis ac mediis domuit et subiecit sibi carnem suam eoque adjumento virginitatem servavit perpetuam. Non mirentur hæretici, si impossibile sibi dicant servare virginitatem, quia media requisita non adhibent. Joannes erat lilium inter spinas, Cant. II. quia ut lilium virginitatis conservaret, spinis pœnitentiæ et mortificationis undique se sepiverat, cibo insipido, jejunio, cilicio, silentio, solitudine. Subit tunc cogitare, quam nos Joanni dissimiles simus, qui post peccata, quæ quotidie patramus innumera, nihil austeritatis et pœnitentiæ subire volumus, cum tamen Joannes in summa innocentia tam austere vixerit. O nos delicatos omnes nolumus. in caelo magni esse, sed pati cum Joanne nolumus. Utinam saltem tribulationes, quas nobis immittit Deus, famem, nuditatem, contemptum, desolationem humani auxilii, etc. patienter sustinere-mus!

III. Charitas in proximum eluxit in ipsius prædicatione, in qua totus quodammodo vox fuit ad lucrandas animas. S. Basilius, in Psal. XXVIII. applicat Joanni vocem in eo psalmo septies repetitam, sensu litterali, nec inapposite. Nam primo, dicitur: *Vox Domini super aquas, Dominus majestatis intonuit*; talis vox fuit Joannes baptizans in Jordane et prædicans Christum: *Hic est, qui post me venturus est, qui ante me factus est, etc.* et rursum testificans de eo: *Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de caelo et mansit super eum*: et ibi cum baptizaret Christum, vox Dei Patris de caelo intonuit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit*. En quam bene concordet vox Joannis cum hac voce Dei. Fecit ille hoc ne quis in ipso erraret, credens ipsum esse Christum: fuit etiam hac in re vox turturis, de qua Cant. II. legimus: *Vox turturis audita est in terra nostra*. Ut enim turtur vernali tempore advenit et gemitu suo instans ver denuntiat: ita et Joannes prædicatione pœnitentiæ instantem Christi adventum et tempus gratiæ nuntiavit mox venturum.

Secundo: *Vox Domini in virtute*. Talis erat Joannes, cum redarguit Judæos: *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira?* Phariseos et Sadduceos hac voce taxabat, quod

uti proles viperæ matrem enecant, ita ipsi Christum occidere molirentur, vel quod malo exemplo, erroribus ac turpi similitudine veneno populum inficerent. Fuit etiam: *Vox Domini in virtute*, dum os muti Patris aperuit et loquelam ei reddidit. Tertio: *Vox Domini in magnificentia*, cum scilicet magnifica de Christo tulit testimonia, et se coram illo nihil esse ostendit. Tale fuit illud, cum diceret: *Venit fortior me post me, cujus non sum dignus, etc.* et illud: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: et illud: *Ego baptizavi vos aqua; ips. vos baptizabit in Spiritu sancto et igni, etc.* et illud: *Illum oportet crescere, me autem minui. Qui desursum est, super omnes est*: item: *Pater diligit Filium, et omnia dedit ei in manus*.

Quarto: *Vox Domini confringentis cedros*, cum concionaretur: *Omnis mons et collis humiliabitur*. Quando nimirum ad adventum Christi suscipiendum et credendum præparabat corda superiorum. supercilium eorum castigando: sic cum dixit: *Ne cæperitis dicere: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham*, Luc. III.

Quinto: *Vox Domini intercedentis flammam ignis*, cum ignem luxuriæ et incestus inter Herodem et Herodiadem adnitus est intercedere, dicens constanti voce: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*.

Sexto: *Vox Domini concutientis desertum*, cum venientibus ad se in desertum prædicavit horrorem judicii et exterminii dicens: *Jam securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur*: et cum de Christo ait: *Cujus ventilabrum in manu ejus et purgabit aream suam et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili*. Unde multi perterriti dicebant ei: *Quid ergo faciemus nos?* uti Publicani, milites, etc. Luc. III. Fuit ergo Joannes terror peccatorum, præsertim in tam aspero habitu, victu, et loco: *Sed et hodie clamat in nobis*, ait S. Ambr. serm. IX. *et vocis suæ tonitruo deserta nostrorum concutit peccatorum; ac licet dormierit, vox tamen ejus vivit; dicit enim et nobis hodie: Parate viam Domini, etc.* Septimo: *Vox Domini præparantis cervos*, cum vocavit hominem ad perfectionem et opera supererogationis, ut cum dixit: *Qui habet duas tunicas, det non habenti unam scilicet* (Græce communicet), Luc. III. Item cum exemplo suo traxit ad eremum et fecit innumeros anachoretas, qui velut greges cervorum ibi habitabant: item cum homines ad evangelium et baptismum Christi et per pœnitentiam ad gratiam præparavit. Cervæ ad partum feruntur præparari et promoveri tonitruum terrore. In quem sensum vertit